

MENEDEMVS CHREMES SOSTRATA CLITIPHO v

1045 *ME.* Enīmvero Chreme(s) nimi' graviter cruciat adulescentulum

nimi'que inhumane : exeo ergo ut pacem conciliem. optume ipsos video. *CH.* ehēm, Menedeme, quor non accersi iubes filiam et quod doti' dixi firmas? *SO.* mi vir, te obsecro ne facias. *CL.* pater, obsecro mi ignoscas. *ME.* da veniam, 5
Chreme :

1050 sine te exorem. *CH.* egōn mea bona ut dem Bacchidi dono sciens?

non faciam. *ME.* at id nos non sinemu'. *CL.* si me vivom vis, pater,

ignosce. *SO.* age, Chreme mi. *ME.* age quaeso, ne tam offirma te, Chreme.

CH. quid istic? video non licere ut coeperam hoc per-tendere.

ME. facis ut te decet. *CH.* eā lege hoc adeo faciam, si 10
facit

1055 quod ego hūnc aequom censeo. *CL.* pater, omnia faciam : impera.

CH. uxorem ut ducas. *CL.* pater . .! *CH.* nil audio. *SO.* ad me recipio :

faciet. *CH.* nil etiam audio ipsum. *CL.* perii! *SO.* an dubitas, Clitipho?

CH. immo utrum volt. *SO.* faciet omnia. *ME.* haec dum incipias, gravia sunt,

dumque ignores ; ubi cognori', facilia. *CL.* faciam, pater. 15